Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

commorandi, uel cuiquàm nocendi, sed tibi sit semper omnis hic contradicta potestas, per eundem. etc.

Alia obtestatio.

Coniuro uos doemones per illum qui uos creauit, et damnauit, et per illum, cui nos et uos obedire oportet, qui uiuit et regnat etc. Coniuro uos, uoco uos, et ligo uos, per illum, qui habet potestatem regere coelum et terram, et omnia quæ in eis sunt: Coniuro uos per patrem et filium, et spiritum sanctum, per sanctam trinitatem, per deitatem, et per uirtutem omnipotentis dei, exite de ista famula Dei N. et recedite per patrem qui creauit omnia, per filium, qui nos redemit suo præcioso sanguine, uos aut prostrauit et condemnauit, et per aduentum spus sancti paracleti, exite et recedite: hoc ego præcipio uobis per illum, quem uidistis uos, et amplius nunq̃ absq̃ terrore et cruciatu uidebitis, et per ista sacra nomina Dei ineffabilia, Eloi, Emanuel, tetragrammaton, Sabai, Lux et Elijon, recedite et dimittite hominem istum, quem Deus creauit ad suam imaginem, et redemit suo præcioso sanguine, exite et recedite ab ista famula Dei N. de omnibus membris suis, à planta pedis, usq̃ ad linguam: Hoc ego præcipio uobis, per eum, qui uenturus est. etc. et uos per ignem æternum.